Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26030
Copyright: Admont, Benediktinerstift

tantam et talem uitam et aridam abstinentiam et dolores et labores
et orationes sine intermissione. Huic in monasterio degenti nun-
ciata est mors patris et dixit nuncianti sibi. Cessa blasphemare. Meus enim pater
Chronicus presbyter ecclesie nitrie retulit michi dicens. Quia dum / immortalis est.
iuuenis essem in monasterio nimiam accidiam patiebar. Unde fugi-
ens cepi uagus ambulare per heremum. et perueni usque ad montem ubi
sanctus antonius degebat. id est inter medium babilonie et eraclie in uastissi-
ma solitudine que ducit ad mare rubrum. Veniens ergo in monaste-
rium secus flumen quod dicitur pispir ubi eius sedebant discipuli ama-
tus et macharius qui et sepelierunt eum. expectaui dies .v. ut ui-
derem sanctum antonium. Dicebant enim eum uenturum ad monaste-
rium illud aliquando quidem post decem. aliquando autem et post
uiginti dies. quemadmodum ei dominus reuelasset pro utilitate adue-
nientium in monasterium. Quam plurimi ergo erant congregati
fratres diuersas habentes necessitates. in quibus et eulogius quidam
alexandrinus. et alius leprosus qui simul aderant pro tali ex cau-
sa. Hic eulogius scolasticus erat eruditus uir qui amore diui-
no corde compunctus abrenuntiauit turbis urbium. omnemque
substantiam suam distraxit et erogauit pauperibus sicut scriptum est
dispersit dedit pauperibus iusticia eius manet in seculum seculi et in euangelio di-
cente domino. Beati misericordes quoniam ipsi misericordiam consequentur. Itaque pau-
cos denarios in usus proprios reseruauit. cogitans apud semetipsum
quia operari propriis manibus non preualeo. nec in monasterii con-
gregationem ingredi possum. Inuenit ergo quendam in platea iacen-
tem leprosum qui nec manus habebat nec pedes. cuius tantummodo lingua
uigebat. Stans autem eulogius prope eum orauit dominum. et posuit quasi
pactum cum domino dicens. Domine in nomine tuo leuabo hunc leprosum in
domum meam. et ministrabo ei et repausabo eum usque ad mortem ut